WENCESLAUS BRACK
Konstanz, 1492-1494 Seite 138v
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8132
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



erit esse eius, sicut esse mandragore. et iusquiami
vehementer calefacta. que etiam corpori applicata.
non solum calefaciunt. sed adurunt ipsum. Avicenna
vero secunda primi. dixit eius nocumenta. Quia
digestionem corrumpit. et cibum facit natare in stomaco.
Neque sitim illico extinguit Et ad ydropisim inducit
Et ad ethicam, corpus consumendo. Et dixit Rasis
tercio Almansoris Corpus dissoluit. et sanguinem
a quibus exire consueuit. cito fluere facit.
virtutemque deicit. Idem dixit ypocrates in
precedenti capitulo. scilicet, fluxum sanguinis, et defectiones
spiritus facit. Eadem est haliabatis sentencia. quinto
theorice Quare ad Rubricam presentem sufficiat

Caput decimum. De vtilitatibus et bonitatibus aque calide

Presuppositis duobus mox precedentibus
capitulis. Calide aque iuuamenta licet dicere
Ruffus enim ille vetustissimus phizicus,
ait eam conferre. quociens per ipsam fit preparacio
ad corporis laxacionem. ad attenuacionem. ad educendum
humores. liquefaciendum. leniendum. digerendum.
dissoluendum. aperiendum opilaciones, et ad attrahendum
materias ad membra. Ipsa etiam euacuat per sputum,
et narium mucillaginem educit. nausee conferens.
omnes dolores mitigando. et proprie in ypocondriorum
partibus. puta in ventre, et intestinis. quociens